

PLANTE ALPINE

9197 IV. M. a.



40 IV

PLANTÆ ALPINE
CARNIOLICÆ
COLLECTÆ ET DESCRIPTÆ
BALTH. BACQUET.

PROLEGOMENA ET NUNCUPUS DICTÆ, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ
PRIMA, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ
AGRIUM ET MONTANUM, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ
PRIMA, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ
QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ
QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ
QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ
QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ, QUATUOR PARTIBUS DIVISÆ



PLANTÆ ALPINE
CARNIOLICÆ
COLLECTÆ ET DESCRIPTÆ
BALTH. BACQUET.
1792

PLANTÆ ALPINÆ CARNIOLICÆ.

COLLEGIT ET DESCRIPSIT

BALTH. HACQUET.

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR, ANATOMIÆ, CHIRURGICÆ ARTIS
ATQUE OBSTETRICIÆ PROF. PUB. ORD. SOCIETATIS CÆSAREÆ REGIÆ
AGRARIÆ ET BONARUM ARTIUM IN DUCATU CARNIOLIÆ SECRETARIUS
PERPETUUS, ACADEM. SCIENT. IMPER. NAT. CURIOSORUM.

MOGUNTINÆ, FRANCOFURTI AD ODERAM, BOTANICÆ

ET GEORGOPHILI FLORENTINÆ, AMICORUM NAT.

SCRUT. BEROLINENSIS, HALLENSIS,

OECONOMIÆ LIPSIENSIS &c.

SODALIS.



VIENNÆ,
Sumptibus Bibliopolæ Joannis Pauli Kraus.

1782.

SOCIETATI BOTANICÆ

FLORENTINÆ

MULTO CELEBERRIMÆ

ET

VIRO ILLUSTRISSIMO

RUPERTO COMITI PANTALPHINIO

EJUSDEM SOCIETATIS

PRÆSIDI DIGNISSIMO

D. D. D.

AUTOR.

A 2

PRÆ-

SOCIETATI BOTANICAE

FLORENTINAE

MULTO CELEBRARI

ET

VIRIS ILLUSTRISSIMO

FRANCESCO COMITI PANTALONI

PRaesidem SOCIETATIS

PRaesidi dignissimo

D. D. D.

AUTORE

FRANCESCO

PA

P R Æ F A T I O.

Quam tibi Lector benevole inpresentiarum fisto, prima decas est plantarum, quæ in alpibus Carniolæ & Istriæ crescunt. Exigui quidem utrique sunt Terminî, attamen non facile hortum botanicum, quo natura opes suas tam copiose concessisse videtur, elegantem magis, & ornatum videris. Quæ enim regio, quis locus tantam botanicarum rerum copiam, tamque multiplicem simul novitatem, utut sit amplissimus, ostentare potest, & tanquam re sua propria gloriari, an non id flora carniolica (*) & appendix ad floram austriacam (**) luculenter comprobant? Difficile sane fuit novi quid hoc in genere detegere, quandoquidem & provincia nostra exigua est: & de re Botanica optime meriti Mathioli, & Scopoli, quorum ultimo principem facile in sedulitate, & diligentia inquirendi locum concesserim, non sine nominis sui gloria, jam pridem in hac materia elaborarunt. Veritatis nimium studiosus, non possum non hic commemorare illustrissimum D. L. B. a Wulfen, cujus indefessus labor orbi erudito perquam cognitus est. Hujus opera usus perquam frequenter, & hic, & alter amicorum meorum; nec operæ pretium duxerunt, ut, quod alieno labore compilarunt, suæ forte nimium timentes gloriæ illi in acceptis referrent, ejusque recte ibi obliviscerentur, ubi maxime commemorari merebatur! quam facile alieno vivitur labore! quam facile res, quæ ad manus ultro defertur, definitur & describitur! sed quantis stat sumptibus, quantis, quamque periculis plenis difficultatibus circumspicitur is, qui aut novi quid & irrepti adhuc in naturæ regno depre-

A 3

hen-

(*) A Scopoli Flora carniolica, editio 1. & secunda c. fig. æneis in 8vo Vindobonæ 1772.

(**) H. Jacquin Flora austriaca. Vol. V. Viennæ Austria 1778. fol. maj. c. fig. coloratis.

hendere, ubique locorum se præsentem sistere vult, idque in ea regione, ubi vix quempiam invenire est, qui Botanices cognitionem habeat. Accedit præterea, quod labores nostros non mediocriter remorari potest; asperitas nempe viarum, quæ ad hæc loca inaccessibilia ducunt, ingens montium altitudo, nivibus hinc inde tecta, ubi vix plantam deprehendi posse arbitrabar; quo tamen Lithologiæ studio duntaxat impulsus eluctari non dubitavi.

In hac decade plantarum neque stili elegantiam, lector benevole, neque minutissimarum rerum exactam descriptionem requires; meus omnis labor eo se extendit, ut singulæ plantæ, quantum fieri potuit, clare & distincte descriptæ exhiberentur. Secutus sum Cel. Linnei characteres, genera quod attinget, nihil novi mihi occurrit, speciebus novis nomen specificum ex ipso loco natali impertior.

Utere, Lector benevole, hac opera mea, quam non omni fructu carituram judico, apud eos præsertim, qui non alienum a studio botanico animum habent; intuebuntur enim occultas naturæ divitias, seseque ad similes labores ultro excitari sentient. Quod ut eveniat ad majus botanicæ rei incrementum, ex animo opto, vale.





N. 1. Tab. 1.

Carlina. Utzka.

Radix perennis recta subfusiformis vel conoidea, aut tortuosa ratione loci natalis, rugosa ex flavo in fuscum degenerans, ex qua complures radiculæ crassitudine pennæ anserinæ, extus flava ferruginea, intus albescens, aliquantum amara.

Caule caret, omnia folia intima tum præcipue illa primi anni, sunt oblonga, ovata, attenuata, undulata; basis in petiolum canaliculatum per totam folii longitudinem. Reliqua folia magna, petiolata, profunde laciniata, spinosa, minora, quæ versus calicem protenduntur, sessilia, integerrima, aut in elliptoidem, aut in linearem longitudinem procurrentia, spinæ feroces in circumferentia: subtus venæ insigniores, & crassæ admodum, perque venulas numerosissimas, quæ reticulatæ, albæ, villosæ, superne fusco virentes, & scabriusculæ.

Flos amplissimus unicus, cujus diameter quinque aut sex pollicum est. Calix radiatus, cartilagineus, subtilissime pilosus, pallide flavescens, duos vel tres pollices longus, minute dentatus; margo basis membranaceus, vel pilosus; superne canaliculato dorso & in gibbum flavum, obscurumque leviter elevato.

Corollæ pallescentes quinquedentatæ leviter ventricosæ cum antheris quinque affixis concoloribus, quibus stigma clavatum inhæret. Semen cuneiforme obtusum, minute villosum, pappus setaceus, flavo albus, setulis pollice longioribus, in fasciculos ordinatis; flosculi & in ipsa maturitate remanent. Discus carnosus albescens perpendiculariter bissectus unius pollicis crassitudinem attingit.

Icon omnia in sua nativa magnitudine repræsentat. *a.* & *b.* folia ultima versus calicem ovata & linearia, ad basim carnosæ sunt; *c.* & *d.* squamæ seu foliola calicis; *e.* partem externam seu convexam; *d.* concavam seu internam refert; *e.* stamen unicum figuram lanceolatam habet. *f.* Semen maturum cum pappo; *g.* setulas in fasciculos ordinatas; *h.* corollas tubulosas integras cum stamine, & pistillo *i.* easdem incisas, & apertas, *k.* folium, prout in prima ætate nascitur.

Elegans hæc, & utilis planta in summitate montis Utzka, seu montis majoris, qui quasi medius exsurgit, & in contermino monte Planick, & iterum prope Lupocklau, ad pedem montis mihi occurrit.

Mi-

Mirabar vehementer, qua ratione fieri potuerit, ut hæc oculis Clar. Mathioli per Istriam proficiscentis subterfugerit: forte quemadmodum alii Botanici, nimia montis altitudine, viarumque asperitate, vel denique incolarum ferocitate territus huc non pervenit. Sicut & Celeb. Scopoli. Apud nos in Istria, ut in Levante, qui, absque eo quod ipsi finistri quid a populo accidat, versari vult, necesse habet, ut se popularem esse dicat, quare eorundem linguam callere debet.

Botanices amicis gratam abunde rem vel ex eo fecisse arbitror, quod ea in hac planta exhibuerim, quæ eandem determinant, sed contentine etiam erunt, quorum Deus venter est, cui, dum & de rerum cognitione loquuntur, thura ferunt? Hinc ut & iis satisfaciam, qua ratione hæc planta adparari debeat, ut ad manducandum adponi possit, paucis dicam.

Caro alba, & grati odoris, & minus adhuc amara, quam Cynara Scolymus Linnei; potest quidem manducari cruda; interea tamen & cocta sapit palato. Cum hæc planta vel in monte naturæ beneficio nata, jam apta est nutriendo corpori, quis illam non dignam æstimet, quæ ad nostros hortos deportaretur, colloceturque.

Nulla planta meretur majori jure nominari acaulis, atque hæc; nam carlinam acaulim Cel. Linnei, Vaillant & aliorum minus probabiliter hoc nomine insigniverim, quandoquidem sæpe unius pedis caulem habet: floret Julio, semen Septembri maturefcit; odor nullus.

N. 2. Tab. 2. fig. 1.

Illecebrum Kapela.

Exigua planta, duorum pollicum longitudinem excedens. Radix lignosa, & ramosa, perennat, extus fusca, cinerea, intus albescens, caules & rami verrucosi, crassiores, juniores graciles, repuntque. Lignum illis albidum, cortexque ex cinereo in albidum degenerans.

Folia sunt alterna ovata, lanceolata, duas vel tres lineas longa, aliquantum pilosa, sessilia integerrima, stipulæ cum foliis alternatim occurrunt, ejusdemque sunt figuræ, albissimæ, pellucidæ, integerrimæ, glabræ. Caules capitulis terminantur.

Flores bracteis nitidis occultati, ovatique, calix viridis quinquefidus, exiguus, cartilagineus, ovatus, lanceolatus, & glaber. Corolla nulla, stamina quinque minora calice, filamenta alba. Antheræ flavæ, stylus unicus, brevis, flavescent. Capsula quinquevalvis, monosperma; semen unicum ovatum fuscum.

Ex hac descriptione quis accuratam cum illecebro paronichio, & capitato Linnei similitudinem, aut si mavis affinitatem non detegit; neque ego locum huic inter allatas duas species unquam negavero.

Crescit in alpihus calcareis sterilibus, has alpes Kapelam dicunt incolæ, circa Grobenek, & versus Reck; dein super monte Kleck.

Shue-

Shnefchnikich dicto; & alibi in montibus circumjacentibus floret sub finem Julii, semen maturefcit sub finem Augusti, odor nullus.

Icon repræsentat plantam in sua naturali magnitudine, ad latus sistitur *a.* flos; *b.* folia cum stipulis & bracteis; aucta *c.* squama corollæ; *d.* capsula; & *e.* semen.

N. 3. Tab. 2. fig. 2.

Rhamnus hydriensis.

Arbor inermis, subramosa, tres vel quatuor orgyas alta, paucis ramis prædita. Radix inter saxa calcarea sese diffundit, truncus illi est diametri unius pedis, cortex durus, cinereus, fulcus, verrucosus, intus flavus, & albidus. Rami nudi, sola in summitate foliosi, veluti in orbem positi, folia sunt glabra, ovalia, unico vel duplici dente crenata, fusco virentia, subtus albida.

Cyma terminalis, & axillaris, in ramulis junioribus flores non habet, in senioribus autem triginta, aut plures inter folia in formam umbellæ prodeunt. Multi ex his sunt steriles, ex hac potissimum causa, quod non satis nutrimenti habeant.

Calix viridescens, paulo longior, ex tubo campanulato in limbum expanditur, quadrifidum patentem, planum, tubo ferme acuto longiorem; supremo tubo adnascuntur stamina quatuor, erecta, quibus singulis squamulæ pone accubant, oblongæ & breviores, atrofuscae. Germen est subrotundum, parvum, pistillum bifidum, breve.

His baccae succedunt rotundatæ, molles, pellucidæ, primo virides, in maturitate nigrescentes, saporis ob dulcedinem ingrati. In qualibet bacca semina bina vel terna continentur, ovata, nitida, pallefcientia, inclusa singula arillo proprio bivalvi. Floret mense Junio & Julio, fructus maturefcit Septembri, & Octobri. Iconi adstant, rami florentis in *a.* flos auctus in utraque; in *b.* germen; in *c.* squamulæ cum stamine; in *d.* bacca integra; in *e.* semen.

Habitat in montibus circa Hydriam, Zhernverch, mali Golack & Voiska ad Terminos Goritienfes, & Tolminenfes.

N. 4. Tab. 2. fig. 3.

Gentiana tērglouensis.

Primo intuitu judicavi hanc plantam ad gentianam pumilam, & acaulē referri posse, at deprehendi, eam, & proprios, eosque constantes characteres habere, ita ut non possit non constituere propriam speciem, quemadmodum id more Cel. Linnei, & Cel. Jacquini me facere

oportere arbitror, qui ultimus in flora sua Tom. II. & IV, Tab. 135, & 302. utramque accurate descripsit, & depinxit.

Ego itaque, qua possum cura, hanc exsequor.

Tota planta glabra, & inodora est.

Radix perennis, erecta, fibrosa, pallens & ætate multiceps, in furculos abit paucos, subdivisos, rosula terminatos, caulis quasi nullus, si persistit, est erectus, gracilis, subrotundatus, semper unifloris. Folia radicalia sunt alterna sessilia, ovalia, duos vel tres lineas longa, integerrima, pingua; folia duo ad calicem, quæ lanceolata sunt, subacuta, & opposita.

Flos pollicis longitudinem superat. Calix tubulosus, brevis, pentagonus acuminatus, quatuor lineas altus. Lacinie limbi corollæ cæruleæ quinque, rotundatæ, integerrimæ, trium linearum diametrum habent, cum interjectis squamulis semibifidis. Filamenta alba tubo longiori adhærent. Antheræ flavæ, & liberæ. Stylus longus cum stigmate infundibuliformi, ad marginem quasi plumosus, in fructu bipartibilis, ventricosus, ad basim gibbosus. Semina minima fusca, ovalia, floret Julio, semina maturescunt Octobri; crescit super monte Terglouensi, ad pedem montis glacialis, in monte na-Ziperi, & o-protech territorie Bohinensi.

Exhibui in Tabula plantam in nativa sua magnitudine, ad latus sistitur in *a.* stylus cum stigmate, & fructu in maturitate; in *b.* semen unicum *c.* limbus corollæ apertæ, odor nullus.

N. 5. Tab. 3.

Oenanthe Karstia.

Radix perennis, subcarnosa, extus fusca, intus albida, tortuosa, radicalis pluribus bifurcatim teres. Caulis solitarius, rotundatus, leviter striatus, glaber, sicut tota planta medulla albescenti farctus, duos pedes altus. Folia radicalia bipinnata, innixa costa ad basim vaginante, parum striata, semiamplexicauli, circumscriptioe oblonga vel elliptica, pinnis lanceolatis, vel subovatis sessilibus, serrato incisus acutiusculis ad costam principem sedent, folia caulina omnia sunt pinnata, summa ternata; pinnulæ sunt integræ, lineares aut lanceolatæ, acutæ. Petioli fistulosi, & minute striati, ex basi membranacea & vaginante ortum ducunt.

Umbellæ universales convexæ, & involucri paucifolio setaceo instructæ, semper eriguntur, compositæ ex radiis decem, aut duodecim. Umbellulæ particulares subrotundatæ, densæ, & parvæ, involucri setaceo duæ, aut tres flores non superant. Radii exteriores paulo longiores sunt interioribus, flosculi omnes fertiles, & ferme æquales sunt, dum extimorum petala extima pauxillo sunt majora, alba, cordata, dorsoque striata. Filamenta corollæ longitudine: styli rigiduli, pau-

paulatim valde elongati. Perianthium pentaphyllum, laciniis lanceolatis, acuminatis, & inæqualibus. Fructus striati, subrotundati, constant ex duobus seminibus, ellipticæ formæ, parum striatis, stylo bifido instructis, quorum alterum tribus foliis calicis coronatur, & alterum duobus. Odor nullus; sapor pimpinelloideus. Floret mense Julio, semina maturescunt Augusto.

Habitat prope Cryptam cornealem super monte Manas ad Boickam, etiam in montibus circa Reckam, abundanter deprehenditur circa Lippizam super Karschto in Carniolia interiore.

Iconi ad latus sistitur in *a.* flos, in *b.* semina aucta.

Cum hæc planta in multis cum oenanthe pimpinelloide convenit, facile pro eadem haberetur; cui viva ad manus non est, hanc iconem expressam cum illa conferre poterit, quam Cl. Jacquin in citato suo opere Tab. 394. exposuit, ipseque ultro discrimina, quæ inter utramque intercedunt, partim in radice, partim in foliis detegit.

N. 6. Tab. 2. fig. 4.

Clathrus (*Fungus*) Hydriensis.

Un tanta fungorum copia, quos partim Cel. Linneus, & D. Schæfferus determinarunt, quem præsens tabula exhibet, non reperi.

Fungus mediocris, subtriangularis semiputridis arborum radicibus innascitur, subcoriaceus, mollis. Stipes durus, subovatus; curvus, membrana albida obductus. Calamus digiti minimi crassitudinem habet; parum striatus, niger, villosus. Pileum gerit figuræ quasi triangularis, coloris bruno-nigri, subtus lamellosus labyrinthiformis; lamellæ versus calamum sunt aliquantum parallelæ; superne pileus nodis distinctus, quorum figura fructibus pinus pinæ similis est; cum vero nodi alii majores, minores alii sunt confluentes, efformantque figuram jam pentagonam, jam tetragonam. Ex centris nodorum striæ versus latera procurunt. Partes aliquæ revolutæ, aliquæ planæ, membrana subtilissima, facili negotio separantur. Substantia spongiformis; lamellæ undulatæ, tenues, elasticæ, nec succum lææ fundunt. Odor putridus suaveolens.

Habitat in collibus prope Hydriam, versus Merslarupa, Zherna-verch. Ad latus figuræ lamellæ adstant. Crescit mense Julio.

N. 7. Tab. 2. fig. 5.

Leontodon Terglouensis.

Crescit super monte Terglou, ubi glacialis esse incipit, & hoc quoque in locis duntaxat humidis, reperitur etiam in albis circumjacentibus.

Tota planta inodora est, unum, duos, aut tres pollices alta. Radix perennat, crassa, nigra, pollicis longitudinem adæquat, fibrillas undique generans, fuscas, albescentes. Caulis firmus, hirsutus, unicus, teres, foliosus. Folia infima duobus pollicibus longiora, amplexicaulia, runcinata, sinuata, acuta, pilis nigris obducta. Superiora profunde dentata, admodum hirsuta; ultimum folium lineare, integrum, pilosum, nigrum.

Calix ex oblongo globosus, constat squamis imbricatis, lanceolatis, acuminatis, erectis, nigris & hirsutis. Corollulæ sulphureum colorem habent, quinquedentatæ patentesque, calicem bis superant. Antheræ luteæ. Germina oblonga, glabra, styli longi, stigma luteum, & revolutum.

Receptaculum album, nudum, subcarnosum, femina fusca, cuneiformia, pappo coronantur sessili, piloso, ad latus figuræ representatur semen unicum cum pappo.

Figura, quam hic intueris, exhibet naturalem plantæ magnitudinem, ad quam libere ex terra argillacea exurgit. Hæc, si frustulis lapideis tegitur, scapum nanciscitur gracilem, longioremque, ita ut aliam omnino formam induat.

N. 8. Tab. 2. fig. 6.

Myosotis Terglouensis.

Clar. Linneo genus myosotum, de quo pauci, & ii quoque non clarescatis, & dilucide tractarunt, in acceptis referre debemus, tanta acuratione elaboratum.

Ego primo intuitu hanc plantam non hæsitavi ad genus aretiæ referre, quemadmodum in Collectaneis (*) Berolinensibus, in quibus de itinere meo per alpes carniolicas, & carinthiacas ago, illam nominaveram; at diligentiori subin examine adhibito detectisque singulis notis deprehendi, eam Myosotim esse.

Tota planta colorem tristem, vel viridem fuscum habet, excepto flore. Odor gratissimus, sicut syringa Linnei.

Radix perennis, sublignosa recta, profunda, multum tortuosa ratione situs, tres, vel quatuor pollices longa, fibras paucas habet. Caulis foliosus, imbricatus, hirsutus; rectus vel procumbens; ex una radice plures quoque caules nasci solent.

Fo-

(*) Beschäftigungen der Berliner Gesellschaft Naturforschender Freunde. Tom. I. 1780. in. c. fig.

Folia infima subnigrescentia, alia fusca virentia, oblonga, ovata, aut spatulata, sessilia, plana, integerrima, duas, vel tres lineas longa, pillis albis rigidis instructa, quæ caulem circumdant, in medio duo, aut tres flores nascuntur, caulis medius rectus, lateralis utrinque dependent, & quasi corymbum efformant. Hæc planta raro admodum est uniflora; aut acaulis.

Calix semitubulosus quinquefidus, initio villosus, lacinia quasi lanceolata; tubus duplo longior, primo patens, & deinde flores erecti, vel involuti.

Corolla hypocrateriformis; tubus ventricosus calyce brevior, annulum cylindricum efformat flavum sulphureum. Sub fauce stamina quinque, quorum filamenta flavescentia subulata minima. Antheræ rotundatæ flavæ. Limbus corollæ eleganter cæruleus, planus; in ore glandulæ nectariferæ bifidæ quinque persistunt; segmenta corollæ subrotundata, ovata integra. Germen in fundo calicis, sessile, subglobosum, flavum, viride. Stylus stamina attingit; stigma capitatum. Capsula unilocularis polysperma, apice dehiscente, in quinque valvulas divergentes intra calicem persistens. Semina quatuor aut quinque, ovalia fusca. *a.* Representat in naturali altitudine corollam integram. *b.* Corollam apertam cum glandulis, & staminibus. *c.* Calicem medium apertum. *d.* Eundem patentem cum capsula, & seminibus in maturitatis statu. *e.* Capsulam cum stigmate non perfecte maturam. *f.* Semen unicum parum augmentatum.

Floret Augusto, semen maturescit Septembri. Habitat in monte Terglou ultra montes glaciales, in supremo loco, qui adhuc terra vestitus est, in collectaneis Berolinensibus superius commemoratis determinavi, in quantam excrecere soleat altitudinem.

Nro. 9. Tab. 4. fig. 1.

Scabiosa Trenta.

Inter triginta, scabiosarum species, quorum Linneus in suo systemate non meminit, nulla est, quæ huic, quam ego hic adfero, similior sit, quam illa, transilvanica, cujus figuram Cl. Jaquin vol. I. pag. 50. Tab. II. (*) accuratissime exhibuit, nostra hæc ad 10. primas Linnei nempe corollas quadrifidas referri debet.

Tota planta glabra est. Radix crassiuscula, sæpe longa subnodososa intra scopulorum fissuras ut plurimum crescit versus capita petiolorum antiquorum semitabidis, & albescentibus radiculis induta est.

B 3

Cau-

(*) Hortus Botanicus Vindobonensis. Tom. III. 1770. in fol. maj. c. fig. col.

Caulis unicus sex pollices altus, teres, leviter striatus, nunquam ramosus, folia inferiora sunt pinnatifida amplexicaulia, plantam mediam altitudine superat; costa foliorum aliquantum fulcata, rigida; lobi inferiores liberi, valde crenati & runcinati, exteriores semper majores sunt interioribus. Ex ultimo loborum pari alter lobus perpendiculariter exsurgit, ejusdem formæ cum reliquis, sed solum secundum par foliorum est etiam pinnatifidum minutim crenatum, superiora folia sunt linearia integerrima. Flos unicus, globosus. Calix communis ovatus, & acutus componitur ex squamulis albis membranaceis, mucronato-aristatis. Corollæ albæ quadrifidæ, ad marginem majores sunt. Stamina oblonga alba. Antheræ flavæ. Pistillum breve. Fructus compositus, ovatus & obtusus. Semina ovalia, subpilosa calyculis parvis dentatis coronata. Odor nullus. Floret mense Julio, Augusto, semen maturescit Octobri. Primam deprehendi in montibus circa Trenta, & in parte occidentali Terglou in declivibus, infra montem Ziperie, & Traschim-verch & super Mischelem-verch. Ad latus figuræ *a*. squamulæ calicis; *b*. semen aristis coronatum.

N. 10. Tab. 5.

Athamanta Golaka.

Malakiala (Racquetia)

Tota planta glaberrima est. Radix perennis, extus cinerea, intus albidula, septem vel octo pollices longa, subcarnosa, crassa vel fibrosa, ad saxum allisa ramos longos de latere propellens, oreoselenique sapore aliquo prædita. Coronam setaceam de præteritis foliis habet. Caulis solitarius, superne ramosus suberectus ascendit, unicus, rotunde sulcatus, duos, tres, vel quatuor pedes altus, ferme glaber. Calami medulla in centro albida, crassitudo unius pollicis est. Folia radicalia ex petiolo membranaceo, & amplexicauli enascuntur, inferiora æque ac superiora tripinnata, in summitate caulis incisa duntaxat, ratione ipsius plantæ magnitudo diversa est, in majore bipedalia sunt. Costæ sunt striatæ anteriores canaliculatæ, pallide virescentes. Caules superiorum foliorum quasi membrana involuti sunt, quæ jam leviter jam profunde trifida, aut quadrifida, vel etiam pluries incisa est; lacinia ovata oblonga, acuta, planæ, supra splendide virides, infra palescentes; in summo caule folia singula sunt simplicia, lanceolata minutim incisa: basi ampliata, & membranacea.

Involucris universalis foliola sunt circiter octo novemque, lanceolata multumque incisa, reflexa, undulata, rigida; particulare confurgit ex foliolis integerrimis, glabris, sublinearibus, tribus vel quinque. Umbella universalis ampla constat quindecim aut viginti quinque umbellulis inæqualibus, erectis. Umbella partialis quindecim aut viginti flores habet; flores, petala alba, glabra, ovata, cum apicibus inflexis vix sub-

cor-

cordata, æqualia. Stamina petalis longiora. Antheræ binodosæ, pallescentes. Stigmata bifida, breviter, albovirescentia. Omnes flosculi fertiles sunt.

Fructus immaturus, viridis, subrotundatus; maturus fuscus, ovatus, oblongus, teres, nitidus, clavatus. Stigma persistens. Semina bina clavata, marginibus quatuor elevatis, extus membranaceis, ovatis, glabris, in medio striatis, albescientia.

Tota planta, excepta radice, saporem ingratum habet, floret mense Junio, semen Augusto maturefcit. Ad latus Iconis repræsentatur fructificatio omnis in nativa magnitudine. *a.* Corolla cum flamine & germine. *b.* Semen non perfecte maturum. *c.* Idem maturum. *d.* Semen nudum extra membranas, cujus una pars interna concava, & externa convexa est, odor nullus. Habitat in alpihus Juliis in summitate montis Velki-, & Mali-Golak & in aliis montibus circumjacentibus.

N. II. Tab. 4. Fig. 2.

Potentilla Terglouensis.

Ex tot Potentillis nec unam vidi, quæ huic nostræ perfecte assimilaretur, illa nitida potentilla Cl. Linnei sicut illam Celeb. de Wulfen in appendice citato describit, maxime cum hac præsentem convenit.

Radix est sublignosa, atra, recta crassa, parum fibrosa. Caules pluriimi suberecti, pollicis altitudinem attingunt, teretes, una cum foliis, & calicibus tomentori, aut dense villosi albi sericei, & glaucescentes. Folia radicalia, plurima, ternata, subamplexicaulia, in inferiore parte membranacea, versus folia patiolata. Foliola oblonga, ovata, obtusa, subsessilia in apice petioli communis, utrinque æqualiter villosa, plerumque plicata, integerrima. Folia caulina inferiora radicalibus similia, petiolata basi stipulis binis linearibus, acutis integris, & ipsi villis cinctis. Superiora ternata aut simplicia, primo cum stipulis brevioribus lanceolatis integris. Stipulæ sessiles integræ parum canaliculatæ.

Flos in caule semper unicus, terminalis, magnus, speciosus, odorifer sicut Cl. de Wulfen potentillam suam descripsit. Calix persistens subcoriaceus decemfidus, segmentis lanceolatis, alternis brevioribus angustioribus, supra tandem parum rubescentibus, subtus pallide virescens, villosus. Pili in segmentis lanceolatis strias formant duplices. Petala quinque subcordata, leviter emarginata, pallida, rosea, ampla. Stamina plurima, filamenta albida duas lineas longa, antheræ clavatæ, rubræ, cum polline flavo. Receptaculum villosum. Germen ovatum, sessile, rubrum, sed villo albo sericeo vestitum. Stylus rotundatus, nudus, ruber. Stigma breve, simplex. Florent mense Julio, Augusto, super monte Terglou Sa-Utech, & Zospoliza in regionibus glacialibus. Infra prope *a.* repræsentatur calix. *b.* Folium ternatum cum stipulis expansum. *c.* Stamina. *d.* Germen pilosum. Omnia in naturali statu.

N. 12.

Carlina pola.

Tota planta tomentosa, seu arachnoidea est. Radix perennis, lignescens, fere quatuor pollices longa, etiam brevior, non ramosa, tortuosa, fibris vel radiculis funium instar instructa, flavescent, saporem eundem prope quem carlina acaulis habet, hunc saporem temperat levis super-veniens dulcedo. Caulis erectus, tres pollices, aut spithamam longus, teres, flavescent, arachnoideus, junior foliosus, postea nudus, folia alterna sessilia aut subamplexicaulia, in summitate congesta, oblonga, parum ovalia, unius & dimidii pollicis longitudinem habent, rigida, sinuata, spinosa, pungentia; ex angulis sinuositatis pinnulae oblongae mucronatae prostant; in marginibus vero minoribus sunt solitariae, ex eodem loco in apicibus folia semper solitaria per costas decurrunt.


Floris caput subrotundum, cujus summitas in receptaculum elongatur, cui flos insidet involucri foliaceo mucronata rigido; & haec quoque folia sunt ensiformia, leviter canaliculata, integerrima rigida, & capitulo duplo longiora, coloris cinnabari, semper persistentia. Corollae albescentes, quinquedentatae, tubulosae, quibus Antherae quinque flavescentes affixae. Stigma clavatum. Semen cordiforme, glabrum; pappus fetaceus, albescent, sessilis, duas vel tres lineas longus. Discus parum carnosus, albidus, saporem dulcem habet; floret Julio, & Augusto; primo hanc plantam inveni copiosam in montibus apenninis super monte Falcon, postea in Campagna di Roma, & in *Coliseo* prope Polam in Istria. Ad latus *a.* folium. *b.* Squamas calicis. *c.* Semen papposum representat.

Tres numero duntaxat hujus generis plantas in ultimo loco reperi, in quibus Myrmeleon an Libelluloides Linnei infidebat, quem huic plantae addidi, vel propter singulares nigrescentes maculas.







F. 1



F. 2



F. 3.



F. 4.



F. 5.



F. 6.





F. 1.



a

b

F. 2.



b

c



F. 3.



b

c



NARODNA IN UNIVERZITETNA
KNJIŽNICA

COBISS



00000320920



